

super omnes ciuitates munitas. et super omnes angulos excelsos. Quid enim per ciuitates munitas exprimitur nisi suspecte mentes et fallaci semper defensione se circumdantes. que quotiens earum culpa corripitur. veritatis ad se iacula non admittunt. Et quod per excelsos angulos ubi duplex quippe semper est paries nisi impura corda signantur. Que dum veritatis simplicitatem fugiunt. ad semetipsa quodammodo dupliciter peruersitate replicantur. Et quod est deterius apud cogitationes suas in fastu prudencie ex ipsa se culpa impunitatis extollunt. Dies autem domini vindicte atque aduersionis plena super ciuitates munitas et super excelsos angulos venit. quia ira extremi iudicii humana corda et defensionibus contra veritatem clausa destruit. et dupliciter inuoluta dissoluit. Tunc enim munitate ciuitates cadunt. quia mentes deo impenetrabilem damnantur. Tunc excelsi anguli corruunt. quia corda que se per impunitatis prudentiam erigunt. per iusticie sententias prosternuntur.

Qualiter ammonendi sunt incolumes. atque aliter egri.

**Cap. XXXVI**

**Qualiter ammonendi sunt incolumes. atque aliter egri.** Ammonendi namque sunt incolumes. ut salutem corporis exerceant ad salutem mentis. ne si accepte incolumitatis gratiam ad usum nequicie inclinant. denuo deteriores fiant. et eo postmodum supplicia grauiora mereantur quo nunc largioribus bonis dei male uti non metuent. Ammonendi sunt incolumes ne oportunitatem salutis imperpetuum promerendo despiciant. Scriptum namque est. Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis. Ammonendi sunt ne placeant deo si cum possunt noluerint. cum voluerint sero non possint. Sic est enim quod post sapientia deserit quos prius